℞. *Aqu. Calc. viv.*
Spir. Vin. camph. ana ℔ß.

Misc. ad Vitr. Ut fiant cum linteis hoc liquore imbutis fomentationes calidæ. Vel

℞. *Herb. Beton.*
Absynth.
Origan.
Hed. terr.
ana M j.
Myrrh. Camph. ana ʒ ij.

Incis. & cont. coqu. in Vino alb. q. s. ut lintea calenti liquori immersa ambustis partibus applicentur. Vel

℞. *Flor. Fœni sicc.* M iv.
Stercor. caball. bolos iv.
Affunde Vini alb. q. s. & sæpe calefiat pro fomentatione.

CAPUT XV.

De Resolventibus.

§. 1.

Resolventium definitio.

ETsi *Resolventium* materia hinc inde sub Tabulâ *Aperientium, Cephalicorum, Cardiacorum, Hepaticorum, Sudoriferorum, Diureticorum,* &c. specialiùs tradatur, hic tamen in genere sub *Resolventium* Classe illa tantùm Remedia indigitata cupimus, quæ humorem qualemcunque in partibus coagulatum & congestum attenuant, resolvunt, atque fluidiorem efficiunt, quæ sicubi *externo* usui adhibeantur, *Dissipantia* vel *Discutientia* appellari merentur; quando autem *interné* præbentur, aptius *Resolventia*, vel etiam *Grumos sanguinis Dissolventia* dicuntur,

Differentia

cuntur, reverâ enim huc pertinent ea, quæ ſanguinem ubicunque coagulatum & congrumatum diſſolvunt, motuique ſuo tam inteſtino, quàm circulari reſtituunt.

§. 2. Ideoque *Reſolventibus* uti ſolemus, quandocunque aut in externis, aut etiam in internis partibus, ſanguinem aliosvè humores ſive jam coagulatos eſſe, ſive demum concreſcere velle obſervamus. Cùm autem iſta humorum coagulatio procedat partim ab acido aliquo coagulante, in ſanguine collecto, partim in exterioribus Membris à contuſione, aliâve cauſâ externâ, non alio modo *Reſolventia* agent, quàm acidum humorum coagulum deſtruendo, craſſas itidem particulas attenuando, viſcidasque incidendo. Ut proin omnia ea ſint *Reſolventia*, quæ *alcalinis* tàm *fixis*, quàm *volatilibus*, nunc purè *ſalſis* & *terreſtribus*, nunc magis minusvè *balſamicis* & *ſulphureis* particulis, valdè diſſolvunt, harumque inſuper mobilitate ipſas humoris coagulati particulas in motum reſuſcitant. *Usus.*

§. 3. In hanc igitur Claſſem referimus omnia *Aperientia*, *Diaphoretica* & *Vulneraria* pleraque, ex quibus tamen peculiarius commendantur *Radices Ariſtolochiæ*, *Vincetoxici*, *Aſparagi*, *Apii*, *Scorzoneræ*, *Bardanæ*, *Carlinæ*, *Chinæ*, *Fœniculi*, *Pimpinellæ*, *Folia* & *Herbæ Rutæ hortenſis* & *murariæ*, *Artemiſiæ*, *Abſynthii*, *Abrotoni*, *Meliſſæ*, *Betonicæ*, *Saniculæ*, *Satureiæ*, *Sabinæ*, *Cardui bened. Scabioſ. Thymi*, *Apii hortenſis*, & *montani*, *Pyrolæ*, *Vincæ pervincæ*, *Baccæ Juniperi*, *Lauri*, *Semina Fœniculi*, *Raphani*, *Napi*, *Aniſi*, *Aquilegiæ*, *Carbones Tiliæ aceto reſtinctæ*, *Gumi ammoniacum*, vel *arabicum aceto ſolutum*. Quibus porrò adduntur *Mumia*, *Coagulum Leporis*, *Cinis 69rorum fluviatilium*, *Mercurius dulc. Cinnab. nativ. vel Antimon correct. Pulv. Viper. ppt. Spiritus* *Materia.*

ac *Salia volatilia, Pulveres diaphoretici fixi, Pulvis* itidem *contra casum Augustanus*, ex quibus variæ Formulæ componi possunt v. gr.

Formulæ Resolventium.

℞. *Radix. Vincetox.*
Aristol. rotund. ana ʒij.
Herb. Sanicul.
Artemis. ana Mj.
Semin. Nap. ʒj.
Bol. Armen. ℥ß.
Carbon. Til. aceto restinct. ʒiij.

Incisa & contusa coque in Mß. Vin. alb. eâdemq; quantitate Aquæ, ad aliquod ebullitiones, de Colaturâ mane ac vesperi cyathus propinetur, pro resolvendo sanguine congrumato.

℞. *Spermat. Cet. rec.* ʒij.

D. ad chart pro ij. *dosibus, & inde mane ac vesper. dosis in Jusculo soluta capiatur.* Vel

℞. *Pulver. ad Casum Aug.* ʒij.

Divid. in. 4. partes æq. mane ac vesperi cum Jusculo sumendas.

℞. *Aqu. Cherefol. Card. ben.*
Nasturt. aquat.
Apii hortens. ana ℥ij.
Antimonii diaphor.
C. C. ph. ppt. ana ℈j.
Salis volatilis Viper ℈ß.
Roob. Juniper. ʒj.

M. ad Vitr. pro ij. *vel* iij. *dosibus.* Vel

℞. *Elix. propriet. sine acid.*
Spirit. Salis armon anisat. ana ʒj.
Essent. Zedoar. ℈j.

M. ad Vitr. Dosis xv. *ad* xx. *gutt. m. ac v.*

℞. *Sang.*

℞. *Sang. Hirc. ppt.*
Ebor. ppt.
Spin. Viper. ppt. ana ʒj.
M. f. p. ſ. div. in vi. *doſ. æqu. ad ch. m. & v. in juſculo ſumendas.* Vel

℞. *Ocul. 69. ppt.*
Antimon. diaph.
Bezoard. min.
Terræ ſigill. ana ℈ij.
Sal. vol. C. C. ℈j.
Sacch. penid. ʒß.
M. f. p. ſ. div. in vi. *doſ. æqu. ad ch.*

CAPUT XVI.

De Diſcutientibus.

§. 1.

Diſcutientia remedia vocantur, quæ Humorem inſpiſſatum alicubi ſtagnantem reſolvere, attenuare, & ſuæ fluxilitati reſtituere, ſicque Tumores varii generis, à ſtagnationibus oriundos diſſipare valent. *Aliàs* etiam *Rarefacientia, Diſſipantia, Reſolventia externa* dici merentur. *Diſcut. definitio.*

§. 2. Horum uſus latè patet, cùm valdè multi affectus externi ab humorum ſtagnatione proficiſcantur, quemadmodum *Inflammationes, Abſceſſus, Eryſipelas, Oedema, Scirrhus, Gangræna, Sphacelus, Dolores, Arthritis, Rheumatiſmus, Hydrops* &c. in quibus Diſcutientia locum inveniunt, quando Medici conſilium eſt, mali cauſam proximam & inhærentem profligare, id eſt, Humores vitiatos in Vaſculis partium obhærentes, diſſolvere, & ſuæ circulationi reſtituere. *Uſus.*